NASCENTI VIRGINI VNIVERSITATIS OBSEQVIA

Tripartito celebrata

à

POMPEIO COLVMNA ROMANO.
BALTHASARE AGVSTINO SENENSI.
IOANNE BAPTISTA RAGGIO GENVENSI.

Sem. Rom. Conuict.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,
Ex Typographia Franciſci Corbelletti.
MDCXXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

L'ACTENTIS VIRGINIS NVTRIX DIVINITAS.

Oratio habita A POMPEIO COLVMNA ROMANO.

IMAGINEM Diuinitatis in naſcente Virgine (Aud.) ſimillimis expreſſam mirificè lineamentis vidit, amauit, complexa eſt feſtiuiſſime ipſa Diuinitas; nec indecorum ſibi duxit, viuum hoc magni Numinis ſimulacrum omnibus abſolutum numeris ſtudioſius educare; nec alienum à ſublimitate diuina, Dei Matris eſſe nutricem, eaque vbera diuino lacte diſtendere, à quibus ducturus eſſet vitam, & alimentum Deus: quod ſi nutricis mores vnà cum lacte coaleſcunt in pueris, hæc Virgo, quæ pœnè Deus mortalibus viſa fuit, quam habuiſſe nutricem dicenda eſt, niſi Auguſtiſſimam Diuinitatem? Debebantur illi diuinæ mammæ, cuius ſanguis abiturus erat in Dei ſanguinem; debebantur blandimenta Diuinitatis illi, quæ Dei delicium, & voluptas erat: & quæ poſtea cùm ipſo Deo ſub humanis induuijs mixtum, & complexum quoddam eſſe debebat, debuit ab infantia in diuinis complexibus enutriri. Certatum eſt igitur peramanter inter diuinas perfectiones in obeundis ſedulæ nutricis partibus infantulæ Virgini; Ac primùm quidem Sapientia diuina ſuæ dulcedinis vbera lactenti ſtatim admouit, vt quod beatis mentibus in cœlo cibus eſt, cœli Reginæ lac

eſſet in terris; nec prius illa inciperet eſſe mortalis, quàm pleno immortalitalis delicijs epulo veſci; ſugebat gratiſſima Deo puella diuinæ ſapientiæ nectar, ſed non magis haurire Deum ipſa proſperabat, quàm Deus illi ſeſe infundere geſtiebat: patebant illi diuinitatis arcana, per quam mortalibus aditus patebat ad Deum; ſine velo caliginis, ac famulantium tenebrarum obtentu decor diuinus illi familiariter explicabatur, à qua velamen corporis, tegumenque humanitatis erat diuina claritas acceptura; Non lex, nec moderatio ſeruabatur in diuina copia ſapientiæ in Virginem transfundenda, cum ſupra legem, modumque mortalitatis, diuinæ cognatione naturæ ad diuina magis accederet, quam humana: Nihil eſt tam obſcurum, tam varium, tam implicitum in humanæ Vniuerſitate doctrinæ, quod omnium dominam, ac moderatricem lateret; nihil in Angelorum Philoſophia tam arduum, tam ſublime, tam inacceſſum, quod non Reginæ pedibus vna cum ipſis Angelis ſterneretur; nihil in Regia Diuinitatis tam clauſum, tam abditum, tam à creata mente remotum, quod, quantum mortali fas eſt, ipſius Dei filiæ, matri, ſponſæ, ſuo veluti iure non laxaretur; & quæ ad diuina ſolùm tractanda deſtinabatur, ab initio pleniſſima cognitione Diuinitatis fuerat imbuenda. O diuinam Infantulam copioſiſſimo Dei lacte ſaginatam! O diuini oblectamentum amoris inter vices amabiles vel nutrientis, vel lactentis Dei! cui ſupra fidem, admirationemque naturæ datum eſt, & vbera Diuinitatis abundè ſugere, & geſtare tuamet vbera ſugentem Deum. At verò quæ diuina ſcientia veluti lacte fruebatur, quibus par erat obuolui faſcijs, niſi pulchritudinis diuinæ luminibus? Contextas ergo virtutum omnium nitoribus faſcias, primæque innocentiæ inſperſas auro Virgini detulit diuina formoſitas, vt ſuas ibi diuitias exponeret, vbi Dei deliciæ cumulabantur. Illis Puellam circumligat, vt aſſueſcerent humana diuinis conſtringi prius in matre, quàm in filio arctiſſimè copulari. Ornatur diuinæ magnificentiæ ſupellectile, diuinitatis ſacrarium in terris, Deique ſolium Dei opibus decoratur; Diuinæ claritatis radij ſpiræ faſciarum ſunt Virgini, vt hoc diuini cæli breuiarium, eo certè mundi cælo eſſet præſtantius, quod illi vix pauca ſigna ſtellulis Zonam conficiunt, huic Sol ipſe in ſpiras flectitur faſciarum; ibi Sol vt imperator attollitur, hic ſuſternitur vt amictus; ibi lumen ab vno Solis fonte parciùs deriuatur, hic quidquid eſt, fons luminis & Sol eſt. Nec certè faſcijs im-

pares

pares inſtrauit cunas diuinæ potentia immenſitatis: quid autem amictam Sole magis deceat, quàm ſiderum cunæ, & prodigiorum luminibus inſtratus lectulus? Sidera ſunt in cælo diuinitatis, virtutis omnipotentis miracula, quibus per noctem mortalitatis creatis mentibus lux immortalis affulget; atque hæc meritò miracula cunarum loco Virginem ſuſcepere, vt quæ omnium erat maximum Dei prodigium, inter cæterorum obſequia conquieſceret. Ab ipſa meri nihili inanitate vocat in rerum lucem quidquid vnquam libuerit diuina potentia; atque ea omnia ſubdere ſe iuſſit huic infanti, & tanquam omnium dominæ famulari ſubiecta; vt iam tum ſanciretur ius illud portentoſum, & inauditum, ne quid poſſet imperare Deus filius auctoritate Perſonæ, quod matri ſimul non pareret iure materno. Miraculum cenſetur in primis, quod eſt ſupra vires, ordinemque naturæ; quæ igitur illi miracula non ſubſternantur, quæ quanta quanta eſt, ſupra naturæ ordinem, viresque eſt, cuius imperia naturæ pro lege ſunt, quam creatæ rationis admiratur natura, cui ſubditus, quippe filius, paret Deus? Sed quid ego de cunis loquor ſubſtratisque miraculis, quando iam video in diuinæ Charitatis vlnis Virginem collocatam? In illis enimuerò ſuauiſſimè quieſcit puella, cuius ſola quies ſolus amor diuinus eſſe poteſt; ibi dulciſſimos capit ſomnos, vbi ipſa dormiente vigilat cor eius, Deus, diuinusque illi amor agit excubias. Quod ſi præ amore languendum erat infantulæ, vbi langueret aptiùs, quàm in amoris ſinu, vt languor ille animi deficientis in Deo, diuinæ charitatis amplexibus fulciretur? quin & vulneratum Dei cor, oculorum amantiſſimo ictu, quę remedia vulneri meliùs admoueret, quam ipſam vulneris cauſam, vt quod amoris ictu fauciauerat, amoris etiam calore ſanaret? Præuertit humana beneficia diuina liberalitas, & prius pœne remuneratur, quàm accipiat: quieſcendum erat in ſinu Virginis infanti Deo, & hoc ipſum prius rependere matri voluit, vt Charitatis vlnis ante ipſam geſtaret vt nutrix, quàm ab illa geſtaretur vt matre. Verum ne quid amantiſſimę nutricis deſiderari poſſit à Virgine, omnia prorſus experta eſt blandimenta ab altrice Diuinitate. Quoties illi tulit oſcula mellitiſſima diuina ſanctitas? Quoties Dei candor oſculo ſibi ſponſam delegit candidiſſimam Virginitatem? ſi enim olim in terris obuię Iuſtitia & Pax oſculatę ſunt, quę certe fuere oſcula ſanctitatis diuinę in puriſſimam Virginitatem tunc primùm ortam in terris? Et,

ſi filius poſt vbera Virginis deguſtata vino, & vnguentis optimis prçſtantiora, oſcula materni oris ardenter erat expetiturus, quo pacto diuina oſcula denegari poterant eidem paruulç, cui Diuinitatis vbera concedebantur? Illi prçterea ſuauiſſimam nçniam modulabatur vox ipſa diuina, & Verbum Patris; quia nihil illi ſonare poterat, quod non ſonaret Deum; nec quidquam ad quietem placidiſſimam eius mentem trahere, niſi allicientis vox amoris. Illi blandiebatur diuinus lepor, in qua compendiariam rerum omnium venuſtatem inſpiciebat; ludebat inter diuina blandimenta Virgo cçli, terrçque lepor; & luſus ille cum Deo diuinam iracundiam erga mortales in dies magis magisque mitigabat. Mulcebatur Virgo diuinç voluptatis manu, ſed non minus etiam diuinùs furor. in homines nutricij Dei blanditijs mulcebatur. Quid multa? Matrem ſuam, ſuçque humanitatis materiam alebat Deus. Quç cum ita ſint, nos qui ſub tutela tantç matris viuimus, intelligamus tandem, quid ſit patrocinium illius Dominæ, cuius educationi ſumma Diuinitas ſeſe impendit, quç verò noſtra famulorum obſequia in Virginem eſſe debeant, cum ea fuerint in ipſam ſtudia regnantis Diuinitatis.

D I X I.

ΚΑΤΑ ΒΕΒΛΗΜΕΝΟΣ ΑΙΔΗΣ ΤΗΝ ΓΕΝΝΗΘΕΙΣΑΝ ΠΑΡΘΕΝΟΝ ΒΑΣΙΛΕΙΑΝ ΠΡΟΣΚΥΝΕΙΤΑΙ.

ΔΕΙΝΑ σκότεος ἀρχεῖα, βαθὺ πρυτανεῖον ὀλέθρυ,
Καὶ μέγας εὐμενίδων, καὶ βασίλεια γόων
Φέγγει παρθενίης βεβλημένα τάρβος ἐπέσχεν.
Εκ δὲ βυθῦ λήθης σφοδρὸς ἔσεισε τρόμος.
Στὺξ βαρυποτμεῖ σέβει θεῖον βρέφος, ὄζον ὀλύμπυ,
Δίσποινάς τ' ἀΐδεω δεινὰ πέλωρα σέβει.
Πλύτων καίτ' εἴκων ἀνεθήκατο σκῆπτρον ἀνάσσῃ.
Παρθενικῇ δὲ κύων τρισσὸν ἔκαμψε κάρη.
Προσκυνέω σε κόρη, σοὶ ἐπεύχομαι ἔνθεον ὄμμα,
Πρὶν τὰ θεῦ ἱκέτης, νῦν τὰ σὰ δεσμὰ φέρω.

CONCVSSA TARTARA

NATAM VIRGINEM REGINAM ADORANT.

Epigramma habitum

A BALTHASARE AGVSTINO SENENSI.

V*MBRARVM regnum, cladisque profunda vorago,*
Regia ſingultus Eumenidumque chaos
Virgineo trepidant male conſternata nitore;
Et validus Lethes concutit ima tremor.
Infantis venerare ortus, & germen olympi
Styx atra, & dominam flammea monſtra colant.
En, licet inuitus, Reginæ ſceptra ſacrauit
Pluton, tergeminus flexit & ora Canis.
Pupula, te veneror, diuum te lumen adoro:
Numinis vna prius, nunc tua Vincla fero.

INFANTI VIRGINI COELI TERRAEQ. VECTIGAL.

Carmen habitũm
A IOANNE BAPTISTA RAGGIO GENVENSI.

OMNIA quisnam verſat amor? quæ gaudia mundũ
Pertentant? quò Phœbus abit? quò vertitur æther?
Quò flectunt elementa gradus? quid ſæcula curſum
Approperant, reſluoque petunt iam lapſa relabi
Turbine, fatorumque parant peruertere leges?
Nos quoq; quò rapimur? quis me mihi ſubtrahit ardor?
Naſcentis nos vrget amor, nos Dia laceſſit
Paruula. Proh quantus radiat per lumina Phœbus!
Quam multus micat ore Deus! Mortalibus ardent
Fœdere mixta nouo decora immortalia formis.
Obſtupuit natura parens, obtutibus hæret
Virginis in vultu, ni ſit mortalis imago:
Ambigat eſſe Deum, numenq; Infantis adoret:
Proxima Diuinis certe venerabitur ora,
Et Dominam ſibi prona colet. Iam quidquid in orbe eſt
Infanti ſua dona parat, ſua deuouet æther
Lumina, ſelectoſque ſacrant elementa nitores.
Prima quidem Tellus Nympharum cincta maniplis
Delicias florum, & Veris decerpit honores:
Florigeri aſſiſtunt Zephyri, calathisq; miniſtrant;
Margine quiſque ſuo florum ſtat concolor ordo.
Virginis ad cunas properant, molleſq; tapetas
Floribus intexunt: paſſim florentia vernant
Stamina: reſpirant viuos imitantia motus
Ora virum, tenero mentita in flore lacertos
Brachia flectuntur, conficto in corpore ſenſus
Viſitur, humanos efflant ſimulacra calores.
Exprimit innumeras florum pictura figuras:

Can-

Candidulis clareſcit opus; nigrantibus umbras
Proijcit, & medijs textum coaleſcit in vnum
Pars cedit, retroq; fugit: Pars eminet: illi
Tethyos extendunt campos: hi nubibus æthram
Obuoluunt, hi mille ſinus in veſte figurant.
Quin & viuentes animorum in corpore motus
Finguntur. Vomit ira faces per roſcida florum
Ridet amor, palletq; timor; ſpes anxia durat.
Vidit opus, ſtupuitq; nouo ſuffuſa pudore
Demiſſos pictura genas. Etruria nexu
Doctior implicito laues animare lapillos
Talia centenos non perfeciſſet in annos.
Iſacidum Reges, & Virginis alta propago.
Flore colorantur vario, magnamque nepotem
Sollicitant votis, & fœtam numine matrem.
Has tellus aggeſſit opes, diuamque ſalutat:
Florea ſtrata iacent; Te florea Pupula florum
Dona decent; ne bella meos, ne deſpice flores,
Et florem dabis ipſa tuum, quem Phœbus & aſtra
Prona colent, quo diuini mens alma Parentis
Floruit; & parili vernabis germine Mater.
Ergo age læta meos cape florea Pupula flores.
Dixerat hæc Tellus; & iam Thetis æquore ab alto
Approperat, ſequitur ſquammis argentea pubes
Coralio bene compta caput, cochleaq; nitenti.
Immanem Oceani concham ſua dona ferebant
Gemmantis matrem ſobolis, cui gemmeus albet
Alueus, ingenitoq; ſinus fulgore renidet,
Tum ſic orſa Thetis. Cunas tibi diua Propago
Oceani tulit vnda ferax. Te gemmeus alueus
Gemmea Pupa decet: pro cunis vnio gemmas
Op'at, & ætherei roris vis gemmea conchas:
Diuini noua gemma maris te te inſere conchæ;
Cunarum ne ſperne ſinus: ſic diues Olympus
In te diuinum diffundat Pupula rorem;
Sic te Virgineam diuus petat vnio concham.
Hæc Thetis, & lætum dictis admurmurat agmen.
Ocyor interea cœli per inane volantum

Legerat Iris opes; teretemq; operoſa per orbem
Aurea plumarum diſcrimina vinxerat arte:
Diſcolor hae triplici pompa Mæandrus obibat,
Et totidem picta currebant Iride limbi.
Ergo vbi flabellum ſibi par intexuit Iris,
Aureq; Zephyriq. potens, ſua lumina pennis
Afflauit, variumq; immiſcuit orbibus arcum
Virgineos ſubit inde lares, & poplite flexo
Prætendens munus roſeo ſic ore profatur:
Aëris imperium pronis tibi ſeruiet auris
Digna Deo ſoboles; flabelli textilis orbis
Aëris, & ſceptrum fert, & regale tributum;
Hoc mulcente ferus rabioſos mitigat ignes
Sirius, & lenes Zephyros leo turbidus efflat.
Miteſcit glacialis hyems; Boreaſq; fauoni
Induit afflatus, & veris amabilis auras.
Flabelli, mea Diua, leues ne deſpice plumas,
Flabelli tua dextra vices, motusq; ciebit,
Cum ſomnos diuina tuis captabit in vulnis
Progenies, auraſq; manu, Zephyroſq; vocabis.
Hac Iris, rutilumq; fuga ſe flexit in arcum.
Viderat hæc Phœbus, nec ſegnior ille coruſcum
Vrget opus. Primum fuluis de crinibus aurum
Et capitis decus euellit, radijſq; ſubactos
Adnectens radios replicatis flexibus æquat,
Inque puellarem contexit lumina pallam.
Infantis tum tecta ſubit, primoſq; Puellæ
Hæret ad obtutus, hebetiq; in lumine pallet.
Iam ſolem fluxiſſe timet, lucisq; perennem
Gurgitem ad inſolitam iam contabeſcere lucem.
His tandem mouet ora modis. Licet aureus ignis
Et vultus mea flamma tuis fulgoribus impar
Langueat, athereæ tamen ipſe opulentia lucis
Ardeo, nec quidquam, niſi noſtra è lampade fulget.
Is quicunq; nitor famulo tibi ſupplicat igne
O lux plena Deo; & ſi quod licet ire per auſum
Prima tibi decora, & capitis fulgentius aurum
Et lucis proſternit opes. Cape Diua quod Orbis

Conari

Conari fax alma poteſt, te purior ardor
Ambiat, & facili condas ſub lumine lumen.
Diuino ſic ipſa feres ſua tegmina ſoli
Sic lucem colet ille tuam: iubar ibit in vnum
Diuus virgineo latitans in lumine Phœbus.
Hæc ait; & ſummis aderat delapſus Olympus
Culminibus, ſequitur fidus comes aſtrifer Atlas.
Illi bis ſenis interſita faſcia ſignis
Munus erat, qua flammiuomis incedit Apollo
Vectus equis, rutilúq; feris diſcriminat annum.
Hanc prius in tenuem denſarat Dædalus æther
Faſciolam, & vaſto ſigna illucentia mundo
Iuſſerat anguſtos inter ſplendeſcere fines.
Tum ſupplex hæc dicta dedit. Si debita cœlo es;
Nec cœlum tamen, Alma, beas, me culmina mundi
Deſeruiſſe iuuat; tecum ſublimior axis
Eſſe reor, ſine te rerum mihi culmen in imo eſt.
Ergo te potior noſtri pars induat, & te
Seiunctus licet amplectar; tua colla coronet
Poſt modò dius Amor, ludatq; amplexibus infans.
Sic Polus; & ſignis intexta volumina pandit:
At Charites, quibus æterni penetralia Regis
Imperijq; nitor patet, & diuina ſupellex
Congeſtas populantur opes, atque arte magiſtra
Puluinar ſimul intexunt: ibi cæca figuris
Exprimitur fati ſeries, & pingitur æuum.
Lactentis thalamum ſubeunt, & numine plenum
Euoluunt opus, & læta ſic voce loquuntur,
Hinc laudes prænoſce tuas, & quidquid in æuum
Molitur diuinus Amor: quam ſola tonanti
Proxima diuinos inter regnabis honores.
Te Charitum labor, & cœli pretioſior vſus
Ad ſomnos vocat: en gratas tibi numinis auras
Puluinar ſpirat: ceruicem huc Pupula flecte;
Carpe fouente Deo, cita carpe tenellula ſomnos.
Riſit ad hæc Virgo, Charitumq; ad munera pronum
Admouit caput, & Charitum melos inter, & vlnas
Compoſuit placido ridentia lumina ſomno.

NA-

NASCENTI VIRGINI

FESTIVI RERVM OMNIVM PLAVSVS

MVSICIS MODVLIS EXPRESSI.

COELI NAENIA.

TIBI Diuinum Pupula nectar
Vbere pleno fundit Olympus;
O nata cœlo, nata Tonanti
Diuinitatis ſuge papillas,
Sophiaque ſempiternæ
Age lac, age mel, age delicias
Suge, ſuge Puellula.
Tibi nutrix, tibi lac, tibi mamma
Deus eſt.
Et Amoris, & leporis tibi copia refluit.
Imbue Numine pectora lacteo,
Epulare Virgo Numen, cape Numinis epulum.
Cape reddıtura Paruulo
Lactis munera Numini.
En adeſt tibi Virgo
Faſcia diuinæ contexta nitoribus aulæ.
In ſpiras tibi voluitur
Numinis pretioſior ſupellex.
Indue ſolem Pupula textilem:
Numinis indue Virgo volumina.

Conde

Conde tuum Diua lampade, conde iubar.
Immortalis alacritas,
Diuina te formoſitas,
Te perennis amenitas
Virgo beatis ambiat orbibus.
Te quidquid eſt decoris, ac venuſtatis,
Te quidquid orbe ridet, ac decet cœlum,
Te quidquid eſt feſtiuitatis æternæ
In-faſciæ volumen explicatum
Te cupit vt gemmam digno conſtringere nexu.
Ergo Diuino trabeata Phœbo
Luminis imperium capeſſe.
Age nunc congere Populo lucem
Congere Diuinum ſub pectorè congere Solem.

TER-

TERRAE TRIPVDIA.

QVAE noua ſurgunt lumina terris?
Quæ mihi Diuina nata eſt opulentia lucis?
Cælo dignius emico,
Luna purius albico:
Phœbo clarius ardeo.
Oblita motus, & rotantis ætheris
Admirabunda me ſydera luce tuentur.
Non Lucifer, nec Heſperus
Alterna vice lucis, & vmbra
Noctem, diemuè nuntij terris ferent;
Exorta iam Diuinitatis Aurora
Nunciat æterni iubar immortale diei.
O quanta formæ dignitas illam beat?
Capillus arcus eſt
Corda Dei ferientis Amoris.
Frons eſt ſerenitatis alma regia.
Lumina ſunt leporum
Et gratiarùm machina,
Fulmina ſunt Amoris
Diuina grato vulnere
Pectora ſaucianus.
Floret genis alacritas,
Ridet ore venuſtas,
Nitet dentibus vnio,
Ardent pyropi purpura labellula:
Quanta Pupula Diua, quanta, quanta eſt
Amor, & lepor, & decor, & nitor eſt.
Tota mel, & ocellulus Tonantis,
Tota delicium, iocuſquè cœli.
Age lepidula iubare placido
Mea, propitia, decora cumula.
Mihi tripudia ſola reciprocent,
Mihi columina ſupera reboent.

MA-

MARIS PLAVSVS,

NOSTRO *nomen ab æquore*
Diuinæ ſapientia vocis
Indidit infanti, plauſuq; excepit Olympus.
Aequori puella riſit
Et ſub nomine fauſto
Maris imperio lætior annuit.
Tibi ſeruit Amphitrite,
Placidiſque plaudit vndis
Famuliſque margaritis.
Maior at Oceanus tibi ſubditur
Tanto Pupula nomine.
Purpureo dominabere ponto
Quem Diuinus Amor diuino è pectore fundet.
Almi cruoris te vocat arbitram
Numinis terras miſerantis ardor.
Diui gurgite ſanguinis
Vitæ perennis vndis ſpatiabere Domina.
Ibi criminum ceraſtas
Acherontiaſque peſtes
Te duce, te patrona
Humana virtus fortior obruet.
Illinc munificentia
Diuinæ gremio diuite gemmas
Opes, & ampla munera
Iure tuo capies tanti Regina profundi.
Ergo plaude beato
Alma Pupula nomini
Decet eſſe te MARIAM, quando mare DEVS eſt.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.